

2. B. V.
HORTUS
CULINARIS,

QUEM,
CONSENSU EXPERIENT. FACULTAT. MED.
IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI,

MODERANTE

VIRO GENEROSISSIMO

D: NO DOCT. CAROLO
VON LINNÉ,

EQUIT. AUR. DE STELLA POLARI;
S:Æ R:Æ MAJESTATIS ARCHIATRO,
MED. ET BOTAN. PROFESS. REG. ET ORD.
ACAD. SCIENT. UPS. HOLM. PARIS. PETROP.
BEROLIN. IMP. NAT. CUR. BERNENS. LOND.
ANGL. MOSPEL. TOLOS. FLORENT. ET EDIMB.
MEMBRO,

DISSERTATIONE ACADEMICA
PUBLICÆ EXAMINANDUM PROPONIT
STIPEND. VICTORINIANUS

JONAS C. TENGBORG,

VESTRO-GOTHUS.

IN AUDITORIO CAROL. MAJ. D. XXI JUNII
ANNO MDCCLXIV.

HORIS ANTE MERIDIEM SOLITIS.

HOLMIÆ, LITTERIS DIRECT. SALVII.

1548
C.P.

A MONSIEUR
CLAUDE FREDERIC
UGGLA,

Capitaine au service du Suede.

A MADAME
ANNE MAGDALENE
DE HIERTA.

MONSIEUR & MADAME.

J'avoue, que je serois inexcusable & même ingrat, si je ne profitois de l'occasion, qui se presente, pour faire connoitre publiquement, combien je suis pénétré de reconnoissance aux bontés, & aux bienfaites, dont Vous m'avez comblé, pendant les trois ans, que j'ai eû le bonheur, d'être dans vôtre noble maison, chargé du soin, d'informer Messieurs vos fils. Je regarde comme un malheur, de n'avoir à vous offrir, pour tant de bontés, qu'un essai de mes études Academiques, que j'ose mettre sous vos protections, pour en relever l'eclat. Mes desirs seront satisfaits, s'il a le bonheur de Vous plaire, & que Vous soyez persuadés, Monsieur & Madame, que je ne cesserai de prier l'Être Suprême, de Vous favoriser, de ses dons les plus précieux, & Vous accorder une santé parfaite, suivie de toutes les prosperités desirables.

Je suis avec un profond respect,

MONSIEUR & MADAME

Vôtre

très humble & très obeissant serviteur

JONNE TENGBORG.

VIRO

Maximo Reverendo atque Celeberrimo

S:Æ THEOL. DOCTORI

D: NO CAROLO
NORING,

Past. & Præpos. Eccles. Svecan. Lond. Anglorum gravissimo,

PATRONO INDULGENTISSIMO.

Tantam licet in animo Tuo inesse magnitudinem,
Max. Rev. atque Celeb. D. Doctor, probe sciam,
ut beneficia, quæ in indigum contulisti, verbis pu-
blice celebrari nunquam cupias; me tamen pietatis ob-
litum & ingratisimum accusarent cuncti, si occasio-
nem hanc prætermitterem recenti meæ memoriæ quæ
hæreant alius infixæ, vel paucissimis, significandi. At
subvereor, ne ex optato succedat res, lingua mente-
que felicioribus non instructa donis. Hæc ut evitem in-
commoda, pagellas has, tamquam interpretes amoris
ardentissimi maximeque sinceri, /dicatas volui;/ quo in
Te feror, /quas ut perbenigne accipias, humillimus oro.
Tot tantisque cumulatus beneficiis, pro Tua & Tuo-
rum perenni flore & omnigena felicitate, indefessus
precabor.

Permanurus, quoad vixero,

Reverendissimi TUI NOMINIS

cultor devotissimus

JONAS C. TENGBORG.

VIRO

Admodum Reverendo atque Præclarissimo
D: no PETRO TUGURIN,
Præposito & Pastori in Vånga dignissimo,
Avunculo propensissimo.

VIRO

Admodum Reverendo atque Clarissimo
D: no Mag. MAGNO BRISMAN,
Pastori in Råda gravissimo,
Avunculo Optimo.

VIRO

Admodum Reverendo atque Clarissimo
D: no Mag. HARALDO BRISMAN,
Pastori in Ekby vigilantissimo,
Avunculo Indulgentissimo.

VIRO

Admodum Reverendo atque Doctissimo
D: no BRYNOLPHO BRISMAN,
Pastori in Sæerstad clarissimo,
Avunculo Amantissimo.

Ob favorem summum & benevolentiam singularem
plane, in venerabundi, gratique animi signum,
hasce qualescunque ingenii primitias, Vobis, cum
fincero omnigenæ felicitatis voto, humillimus offert
atque dedicat

Admodum Reverendorum atque Clarissimorum
NOMINUM VESTRORUM

cultor addictissimus
IONAS C. TENGBORG.

Högårevärdige och Höglärde

Mag. ANDERS HVARFNER,

Kyrkoherde uti Algotstorp, och Probst öfver Giäfene Contract.

Dygådla

Probstinnan MARGARETA

MARIA BRISMAN,

Mine Kiärafte Föräldrar.

Outsäjelig är tedd ömhet och huldhet af Mina kära Föräldrar från spåda ste åren; hafva i samma mon, som vettet tiltagit, alltid ökt min vördnad, samt åstundan, at få lägligit tilfälle, mer allment visa mitt tacksama sinne. Men huru stor blifver icke min häpenhet, när jag fattig på ord, som svara emot Edra välgärningar, ej finner mig kunna rätteligen nyttja detta, utan vara nödsakad hådanefter, som förr, bysa dem okunnoga för de flesta, i mitt nitfulla hjärta. Det ljufva hägn jag fann hos Eder nästan på en gång efter en huld Faders hastiga död, ifrån et 2:ne års barn, under tryckande omständigheter, samt oräkneliga prof sedermera af ren kärlek vid min upfostran; voro väl eljest ej magra ämnen för en lyckligare pänna. Tillåten derföre Mina Kärafte Föräldrar, at jag allenast til oförfalskad prof af ren kiärlek, och ärkiänsla af Eder ogemena godhet, samt tacksamhet deremot, upoffrar Eder detta Academiska arbete, under trogen önskan: at den Nådige Guden ville göra Eder annalkande ålderdom ljustig, samt tildela alt godt i andelig och lekamlig måtto! Lefver

Mina Hulda och Kära Föräldrars

lydigste Son

JONAS C. TENGBORG.



PROOEMIUM.



Ad id licet fastigii omnes ferme evē-
tæ hodie sint scientiæ, ut, ad
quaslibet illarum dudum explicatas
partes addiscendum atque rite ex-
hauriendum, breve vitæ spatium
homini, nisi qui feliciori polleat in-
genio, vix sufficiat; in vita tamen
communi vulgatissimæ sæpe res &
simplicissimæ, quippe quas aut nihil aut nondum satis
cognoscimus, nobis desunt, eademque ingentis forte uti-
litas, & haud nullius momenti. Damnum non sane
exiguum, quod ex Diætæ, Oeconomix, aliarumque præ-
cticarum scientiarum neglecto studio jam diu percipi-
mus, assertioni huic certissimum præbet testimonium.
Nec mirum, cum eorum plurimi, qui sapere supra vul-
gus gestiunt, indagazione sedula aut Academico Parnasso,
ruris delicias indignas judicantes, rebus istis rudiorum
arbitrio relictis, defectui illi ansam dederint uberrimam.
Nos autem potiori impares labori, primum studii littera-
rii rudimentum & Academicum exercitium edituri, dis-
quisitionem hujusce argumenti qualemcunque ideo po-
tissimum præoptavimus, quod tam plebem quam politio-
res homines, ruri habitantes, de rerum illarum ignorantia,
quas culinæ maxime necessarias hortus ferat, diu
questos audivimus. Immo, nobiscum animo volutantes,
quæto ornamento, quantumque in commodum hortos in-
stituerint exteræ Nationes, cito judicavimus, exempla ea-
rum addere civium nostrorum optimo cuique stimulum
nun-

nunquam non oportere. Etenim Patria nostra, quantumvis atrociori gelu multum rigeat, capax tamen proficuae est culturae & multitudinem cultorum fructuum alit, colonis veram terrae indolis habentibus rationem. At vero, super hac materia praecipua auctorum tum veterum tum recentiorum alias atque alias incolentium regiones, quum caeli nostri genio minus conveniant, nostratiumque libri, artem colendi hortos adornandique tradentium, partim exterorum lucubrationibus partim scribentium pollicitationibus referti sint, ita quidem, ut fucum potius faciant, quam vera & sufficienti Historiae Naturalis cognitione, quod deberent, nitantur; parum proderunt discendi cupido & diligenti rerum Rusticarum sectatori. Rem itaque supervacaneam minime nec ingrati nos adgressuros fore arbitramur, si herbas proponere conemur, quas hortus culinæ sibi vindicat, quasque ruri quilibet habitans, certamini cum Magnatibus & Opulentioribus impar, conquirere & potest & debet.

Vegetabilia, quæ nostram nunc subeunt considerationem, tripliciter dispesci intelligimus, quorum alia agros, alia horti areas, alia denique graminosum occupant solum. Quam divisionem verbis, *Agro*, *Plantario* & *Arbusto*, significatam volumus. Ex his Plantarium potissimum perlustrabimus. In singulis capitibus & quæ cultæ fuerint, & imprimis quæ de novo coli debere videantur plantæ, paucis dicetur; adjectis demum plantis *Coronariis*, quibus oculi spectantium pascuntur.

CAPUT PRIMUM.

AGER.

Primum nostra versabitur opera in Agro, qui alius aratur, alius foditur. Per Aratum agrum jugera magni spatii, quæ segetem *Cerealium* proferunt; per Fossam autem

autem agrum minores terræ partes, quæ sepe circumdari plerumque, & ope ligonum præparari herbis solent, intelliguntur.

I:mo ARATIS agris committuntur:

TRITICUM *hybernum* & *turgidum* (*Winter och Knubb-hvete*) promiscue; ut plurimum tamen *hybernum* per maximam Sveciæ partem, quod *bienne* est, & loca amat argillosa.

TRIT. *æstivum* (*Agn-Hvete*), & verno quidem tempore feritur, quodque in Meridionalibus Provinciis frequentissimum est.

TRIT. *Spelta* (*Turkisk Hafre*). Nostratibus sic adpellatur, quoniam Orientales populi equis copiosum id tribuunt. Heic vero non nisi apud paucos eosque curiosos videre est.

SECALE *cereale* (*Råg*). Hoc duplicis esse varietatis patet: *hybernum* scilicet sive *bienne* (*Winter-Råg*), quod arenosis gaudet, & *annuum* (*Wår-Råg*) Smolandia & finitimis passim locis per familiare.

HORDEUM *vulgare* (*Korn*), quod potissimum in humidis roridisque agris late crescit. *Annuum* heic tantum colitur, posteaquam varietatem *biennem*, sæpius tentatam, parum succedere cognitum fuit.

HORD. *hexastichon* (*Himmels Korn*), heic curiosos tantum delectans.

HORD. *distichon* (*Gumring*), in Alandia ut plurimum, & aliis Provinciis passim obvium.

HORD. *Zoocriton* (*Bred Korn*), quod vulgari hic & illic nuper admisceri cæpit, a superiore paululum differt.

AVENA *fativa* (*Hafre*), Jam alba quam nigra. Non nisi annua est, cui steriliora loca atque novalia semper patent.

AVEN. *nuda* (*Skabl lös hafre*), quæ æque ac superior

perior annua est, aliquanto vero ferius maturefcit. In horto cernitur Botanico, & optandum certe foret, ut ufus ejus magis magisque invalefcant, cum fructum det Tritico longe præftantiorẽ; quare apud Scotos, teftè Bauhino, multo pluris conftat.

PHALARIS *canarienfis* (*Canarie-frón*), cujus femina in nutrimentum Pallerum noftros aliunde hætenus attulerunt, cum tamen planta ipfa, utpote annua, hic optime crefcere poffit. It. *Westrog. G. D. Præfidis*.

PANICUM *italicum* (*Gierft*), quod annuum est, a curiofis in hortis fervatur. Exteri illo frequenter utuntur, nos vero id ad victum nondum contulimur.

PAN. *miliaceum* (*Hirs*), quod ejusdem omnino est indolis, atque præcedens.

POLYGONUM *Fagopyrum* (*Bohwete*). Hæc herba annua, arenofis amiciffima locis, in Scania campeftri quotannis feritur, ubi sæpe maturefcit, pultemque tribuit fapidam & falutarem. Frigoris admodum impatiens, a quo in puncto congelationis occiditur.

POLYG. *tataricum* (*Siberifkt Bohwete*). Hoc præcedente nequaquam fequius; verum ea re præftat, quod frigoris impetu minus fit caducum, & fe ipfum frequenter difseminat. In horto Botanico, cujus civitate dudum est donatum, confpici poteft.

2:do FOSSOS agros ornare folent:

HUMULUS *Lupulus* (*Humble*). Tartarica planta perennis, quam feculis noviffimis adhibere hic, & diligentius colere cæptum est. Recentioris ævi folertia radices ejus lapidibus textit, ut fic tum Phalæna Humuli & melleus ros prohibeatur, tum alioquin plantæ vigori confulatur. Quem radices tegendi morem ipfius naturæ effe congruentem, ex humulo, qui in Westrogothia folummodo ad radices rupium, lapidumque fracturas fponte crefcit, hauriri poffe videtur.

NICOTIANA *Tabacum* (*Tobak*), quæ hodie hac ratione colli cœpit: per solum pingue semina, nascente veris tempestate, sparguntur, & fenestris aut vitreis aut chartaceis, oleo delibutis, teguntur. Frigore dein nocturno præterito, in areis elevatis & bene stercoreatis disponuntur plantæ. Quæ dum hic paululum creverint, humantur radices & sæpe rigantur. Quum enim delata ex India Occidentali planta hæc sit, non mirum, quod frigoris nullo non tempore sit impatiens.

CROCUS *sativus* (*Saffran*), cujus duplex est varietas: nempe *autumnalis*, quæ in Europa maxime deprehenditur, & *vernalis* qui illi præstat virtute, sed parvitate pistilli colligendi postponendus. Crocum hunc, quod mirari sane convenit, in Svecia colere nondum inceptum est, si quidem hortos curiosorum exceperis, ubi ob florem venustum ac tempestivum conservatur, cum tamen in maximum lucrum in Oelandia, Gothlandia, Skanœræ & alibi vigere perbelle posset.

CAPUT SECUNDUM.

PLANTARIUM.

Conferendæ ad cibum & condimentum, illæ herbæ hoc capite continentur, quas culinares vulgo dicimus. Quarum hortum in binas areas dividere oportet, ita ut alteram plantæ quolibet anno seminandæ, siue sint annuæ siue biennes, alteram perennes occupent. Præterea, quibus natura blandam cœli folique temperiem fore voluit, opima indigent terra, cui semina novo vere committantur, ita quidem, ut exeunte frondescentiæ mense, superato frigore, teneræ germinationes alio transferri queant. Frigidarium si haberi possit, utilissimum ad nonnullas per hyemem servandum certe erit; sin vero deficiat, cella sicca & calida istis inservire poterit usibus.



1. PLANTÆ BIENNES, quæ altero quovis anno fructum ferunt & pereunt, sunt

BRASSICA *oleracea* (*Kål*), cujus varietates numerosæ sunt. Hæc pingui committitur terræ, ubi tenera *Chrysomelis saltatoriis* vexatur, quæ quidem depelli fuligine possunt; translata vero & adultior a *Papilionibus Brassicæ* læditur. Si deinceps multis annis eandem sortitur terram & locum, radices nodosæ erunt, & capita ipsa contrahuntur, opera quidem *Muscæ Larvarum*.

β. *B. viridis* (*Grönkål*), cura omnium minima egens, & frequentissima rusticis.

γ. *B. capitata* (*Hufvud-kål*), cujus usus hodie maxime vulgaris est. Tenera transfertur, rarius rigatur & radices humanantur.

δ. *B. sabellica* (*Winter-kål*), hyemem, absque ullo damno, sustinens.

ε. *B. laciniata* (*Krus-kål*), quæ rarior hic locorum, frequentior vero in Australibus Provinciis, minori eget cura.

ζ. *B. sabauda* (*Savoje-kål*), maximis in deliciis habita, curam magis assiduam, & terram minime communem, poscens.

η. *B. botrytis* (*Blom-kål*), quæ sequioribus temporibus in Honoratiorum deliciis esse cœpit. Terram requirit haud vulgarem, & semina quolibet anno ab exteris emantur necesse est, quorum quæ ex Pensilvania adferuntur, omnium sunt præstantissima.

θ. *B. gongyloides* (*Kål rabi*), quemadmodum vulgares *Brassicæ*, cultu haud difficilis. Caulis ejus gibbosus in jusculis egregii est usus, qua propter mirum est, quod in Patria non sit vulgatissimus.

ι. *B. Napobrassica* (*Rot-kål*), cujus radix crassa est instar *Rapæ*, sæpiusque hic obvia.



BRASS. *Napus* (*Gottlands Rofwa*), faciem gerens Raphani; Radiculae ejus supra terram sapissime crescunt. Hac in arenosis locis magnum haud raro acquirit pondus, & exteri ea, quam nos, frequentius utuntur, licet vera ejus Patria sit Gothlandia Orientalis, nostraque Rapa longe praestet.

BRASS. *Rapa* (*Rofwa*), quae primo in hortis, dein in agris, tum vero praecipue in deustis silvis, feri cepit. Quae autem in ejusmodi locis deustis crevit, dulcedine pariter & magnitudine ceteras vincit.

DAUCUS *Carota* (*Morot*), cui triplex est varietas: Radice *alba* in pratis sponte crescens; Radice *rubra*, in hortis curiosorum conspicua; Radice demum *flava* nobis frequentissima, & per colorem acceptissima.

PASTINACA *fativa* (*Palfternacka*), verno tempore sapidissima. Ejus cultura minimum exigit laboris, facile enim incrementa capit, hyemis vim facile patitur; & id singulare habet, quod hieme quoque accrescat.

APIUM *Petroselinum* (*Perfilja*), hiemem sapissime perdurans, nisi ea gravior & terra humida fuerit. Bifariam dividi solet, ita ut alterius folia (*grön Perfilja*) saporis conciliandi gratia in jusculis & piscium ferculis adhibeatur; altera vero (*Rotperfilja*) sicut Pastinaca, qua radicem magis augeatur, & alimentum sapidum item in jusculis praebet. Novum posterior varietas est inventum, cujus originem exteri Svecis deberi credunt.

AP. *graveolens* (*Silleri*), quod radice grandescente, potiore terram & curam, quam praecedens, postulat. Vitiorum solertia, & asotum audacia, tetram plantam, ut doctae gulae saperet, nobilitavit, nullatenus vero senibus conducit. Hodie frequentissima apud nobiliores, in cellis per hiemem servanda.

TRAGOPOGON *pratense* (*Salsofi*). Pratis ultro offerentibus, haud difficulter colitur. Itaque miramur, quid



quid ni uberius in hortos illatam hanc herbam inveniamus lapidissimam.

SCORZONERA *hispanica* (*Skorzoner-rot*), hiemis nostræ facillime patiens. Licet, uti præcedens, præstantissima sit, apud nos tamen minus deprehenditur vulgaris.

CAMPANULA *Rapunculus* (*Raponsel*). Dulcem etfi & hieme superstitem, nisi in humida & rara terra steterit, radicem habeat; crebrior tamen illius nondum invaluit usus.

BETA *vulgaris* (*Rôdbeta*), quæ facillime crescens, hyeme transacta, salva manet.

RAPHANUS *sativus* (*Rättika*), tripliciter varians, & est vel R. *æstivus*, anno sæpe primo caulescens; vel R. *hiemalis*, radice extus nigra, rimosa & acriore; vel R. *Radicula*, radice supra terram emimente. De his præterea observandum, quod condimenta præbeant, non vero alimenta.

ALLIUM *sativum* (*Hvitlök*), quod ex satis bulbis & facile germinat & crescit.

ALL. *Cepa* (*Rôdlök*). Hoc e feminibus prolicitur & adultius transfertur. Muscovitica sive Ægyptia varietas bulbo gaudet, magnitudine Rapam minorem haud raro æquante, qui si in fidelis, aceto refertis, demergatur, & ad tempus ibi condatur, acerbitate deposita, condimentum tribuit pergratum.

ALL. *Porrum* (*Purio*), quod itidem e feminibus provocatur & transfertur. Hæc, quorum mentionem fecimus *allia*, eo inter se amice conspirant, quod hyemem raro sustineant, qua propter in cellis arenosis servari debent.

ALL. *Scorodoprasum* (*Räcken boll*), quod bulbis multiplicatur, salvumque hiemem nostram evadit.

COCHLEARIA *officinalis*. Hæc sponte plerumque & vere & auctumno crescit, adeoque facilis propagatu est.



est. Utilem, maxime Scorbuticis, in acetariis præbet victum.
 ERYSIMUM *Barbarca* (*Vinter-krasse*). Hæc, utpote indigena, ullam vix curam desiderat, namque introducta semel, sponte se multiplicat.

CICHORIUM *Intybus*, quod Svecia Meridionalis sponte profert, in exterorum acetariis frequentioris est usus; hiemes nostras spernit.

CIC. *Endivia* (*Endivia*) in hortis curiosorum hæc interdum conspicitur planta, quæ hyemis gravitate sæpissime perit.

2. PLANTIS ANNUIS adnumerantur

LACTUCA *fativa* (*Sallat*), cujus multiplex est varietas: in his *L. capitata* (*Hufvud sallat*) & *L. crispa* (*Krus-sallat*), pro acetariis solemniter adhibentur.

PORTULACA *oleracea* (*Portulaka*), quæ arenosa amat loca, & frigore auctumni vel minimo læditur.

SPINACIA *oleracea* (*Spinat*). Hæc facillime crescit, & ut semina evadant foecunda, non prius mares evellendi sunt, quam pollen suum ejacularint.

BETA *vulgaris*: *Cicla* (*Moldan*), quæ usu spinaciæ magis magisque invalescente, cum nimium condimenti poscat, omnem exuit gratiam.

Ut sapiant fatue fabrorum prandia Bete,

O! quam sepe petit vina piperque coquus. MARTIAL.

ATRIPLEX *hortensis* (*Molla*). Hæc negotio adeo facili feritur, ut ipsa in hortis frequenter sese divulget.

SCANDIX *Ceresolium* (*Kiörsvel*), quæ bis in anno maturescere, & se ipsa disseminare potest.

ANETHUM *graveolens* (*Dill*), solo cœloque nostro convenientissimum.

ANETHUM *Foeniculum* (*Fenkål*), quod in arenosis læte viget, & hic minus frequens est. Per se quidem est hæc planta perennis, sed heic hyeme perit, nisi in sicca arena cellæ calidæ condatur.



LEPIDIUM *sativum* (*Krassé*). Planta hæc citius e seminibus enata, & ipsa haud raro se disseminans, rusticis frequentissima est; Nobilioribus tamen in acetariis pro condimento inservit. Datur varietas *foliis crispis*, quæ præstantior est.

SATUREIA *bortensis* (*Kyndel*), facillime crescens, rusticisque maxime communis.

THYMUS *vulgaris* (*Timjan*), qui arenosam requirit terram, & per se quidem perennat; At illa varietas, qua hic frequentius utimur, annua est, & folia ejus aliquantum magis grandescunt.

ROSMARINUS *officinalis* (*Rosmarin*). Frutex hic est verno tempore seminandus & auctumno abscindendus, quod radix hyemis sævitia perit.

LAVANDULA *spica* (*Lavendel*), quæ in duplicem varietatem abit, & est vel angustifolia, in arenosis Scaniæ hortis sempervirens, vel latifolia hic quot annis fata, & hieme periens.

SALVIA *officinalis* (*Salvia*). Hæc quoque frutescens est, & terra delectatur arenosa; hyeme plerumque perit.

ORIGANUM *Majorana* (*Meyram*). Hoc in opima terra & feri & adultius transferri sivevit, frigoris enim maxime est impatiens.

OCIMUM *Basilicum* (*Basilika*). Quod ut a frigore conservetur, terræ committitur pingui. Plantam enim, quæ non nisi Indiam natale solum agnoscit, hyemis nostræ vim sustinere non posse, satis constat.

TROPÆOLUM *majus* (*Indianisk Krassé*). Hoc a Peru adductum, hic, inprimis venustatis & ornamenti gratia, feritur; flos tamen in condimentum acetariorum aliquando adhibetur.

CUCUMIS *sativus* (*Gurcka*). Prægnanti terra quamquam heic careat, nihilominus crescere potest, quam tamen minime detrectat. A primo auctumnali frigore destruitur, utpote planta *Aegyptiaca*.

CU-



CUCUM. *Melo (Melon)*. Hic primis diebus regelationis seminari debet in terra prægnante, fenestris bene munita, quoties licuerit, aperiendis. Post frigus, seu primis mensis frondescentiæ diebus, transplantari debet. Qui heic creverunt Melones, nullis Europæ aliis concedunt.

CUCURBITA *Citrullus (Watten-Melon)*, curam superioris omnino requirens, & huc usque minus vulgaris facta.

CUCURB. *Pepo (Pumpa)*. Hæc si in terra non lætificata enascatur, pingue solum, & adultior amplum sepi-mentum, quod clavicularum suis complectatur, poscit. Frigoris est impatiens, magnumque fert fructum; verum confectæ inde pulvis nostratibus haud sapiunt.

CORIANDRUM *sativum (Koriander)*, quod absque multa cura in hortis crescit. Olim semina ejus condimentum panis fuerunt, hodie vero rarus est illorum usus.

PIMPINELLA *Anisum (Anis)*, cui plantæ frigus inimicum est. Ut semina maturet, locum calidiorem in angulo quodam horti præoptat. De cetero heic rarius feritur.

PISUM *sativum (Ärter)*. Hoc multipliciter variat, & maxime vulgare est cortice interiore duriore (*Skip-ärter*), quod plerumque agris circumseptis a colonis committitur. Pisum vero sine cortice duriore (*Säcker-ärter*) *P. quadratum (Hollands ärter)* & *P. nanum (Kryp-ärter)* in hortis coli solent; quæ singulæ varietates, si ultimam exceperis, ramis arborum fulciendæ. Intensiore fugato demum frigore, tempus Pisis ferendis est convenientissimum.

PHASEOLUS *vulgaris (Turkiska Bõner)*, qui a frigore abhorret, pingua loca, arundinesque, quibus enitatur, atque præsidium contra procellam exoptat. Ab hoc *PHAS. nanus (Kryp-bõner)*, vix differt, scandendi more, quem sequitur, excepto.

VICIA *Faba (Bõnor)*. Cujus varietatum minor (*Äker-bõnor*) in Svecia meridionali ad margines agrorum; major vero plerumque in hortis a populo feritur laborioso,

qui quidem cibo adeo duro & flatulento vesci impune potest.

ERVUM *Lens* (*Linsér*). Planta hæc, instar Pisi, facillime crescit, sed raro, & tantum a curiosis nonnullis hic colitur.

SINAPIS *nigra* (*Senap*). Hæc se ipsa disseminans, curam cultori minimam parit. *S. alba* quoque (*Ängelsk Senap*) facile floret, minus frequenter tamen adhuc in hortos introducta cernitur. Priori longe acerbior est, ideoque a Nobilioribus præponitur.

3. **PLANTIS** demum **PERENNIBUS** adscribuntur

SOLANUM *tuberosum* (*Potatoës eller Jord-Páron*), nostris temporibus introductum, quod brevi æstatis spatio, baccas hic ad maturitatem perducere nequit. Igitur propagatur fragmentis tuberosæ radicis, tempore vernali terræ committendis. Præsidio contra procellam, & subacta humo, delectatur. Minimo præterea destruitur frigore, quapropter hiemem in cellæ sicca terra servari debet.

HELIANTHUS *tuberosus* (*Jord-årtskåckor*). Hic genio nostri cæli est aptissimus, florem vero & semina non præbet. Ut terram habeat sufficientem, tertio quovis anno tuberibus de novo plantatur. Priori sapidior, cultu facilior, & salutare magis tribuit alimentum; itaque mirum videtur, quod in hortis magis non increbuerit ejus usus.

LATHYRUS *tuberosus* (*Jordmöfs*), qui in Hollandia Peregrinatoribus nostris grate sapit, heic ita vigere potest, ut semel introductus vix extirparetur. Legumina tamen ejus non maturefcunt; tuberibus igitur disseminandus.

SIUM *Sisarum* (*Såckerrot*). Planta hæc semina fecunda raro hic fert, minimis vero radicis partibus divulgata, commode multiplicatur. Anno quovis secundo aut tertio de novo plantari debet, ut radix grandescat.



mnum nostrarum radicum hæc optima & dulcissima est, ut merito sane miremur, quid ni in hortis uberior adpareat.

ASPARAGUS *officinalis* (*Sparis*), qui & feminibus & radice multiplicatur; terra arenosa delectatur. Multum fini ad hujus culturam impenditur, ut grandiores Turiones nascantur. Primis tribus annis non abscinduntur turiones, & demum post octo annos de novo propagantur radices.

SCANDIX *odorata* (*Kjörswel*). Hæc feminibus multiplicatur; temperiei cæli nostri convenit, & ad modum Brassicæ coquitur.

RUMEX *Acetosa*, & quidem varietas ista alpina, Russica dicta, quæ divisis radicibus propagatur, & cujus deinceps nulla opus est cura.

COCHLEARIA *Armoracia* (*Pepparrot*). Hæc mutilatis in terram spongiosam atque roridam demissis radicibus, propagatur, & quo ejus pluries repetitur propagatio, eo fit præstantior.

ARTEMISIA *Dracunculus* (*Dragon*). Hæc radicibus multiplicatur, solum per hyemem inundatum imprimis exposcit.

RUTA *graveolens* (*Winterruta*), terram duram, arenosam aut sabulosam desiderans, satis feminibus surgit; hyeme dein & præsertim vere ramis abietum tegenda est.

MELISSA *officinalis* (*Melis*). Hæc culturam Rutæ debitam omnimodo postulat.

POTERIUM *Sanguisorba* (*Pimpinella*), solum ficcius amans, sempervirens, & feminibus multiplicanda.

ALLIUM *fistulosum* (*Kål-lök*), quod absque cura singulari crescit, & radice multiplicatur.

ALL. *Schænoprasum* (*Gråslök*). Hæc Oelandiæ planta, radicibus in terram depactis, germinat, quæ quidem, si nimis late dein sese diffundant, mutilatione cohibentur.

ALL.



ALL. *moschatum* (*Scharlotter*), bulbillis propagandum, quod in humida terra, arenarum divite, optime crescit.

FRAGARIA *vesca* (*Jordgubbar*). Hæc ex varietate pratensi est, radicibus transplantatur, quæ, dum germinat herba, humantur, & flagella seu stolones abscinduntur. Ceterum, utpote indigena, studiose nimis tractari non opus habet.

RUBUS *arcticus* (*Åkerbår*). Hic quoque radicibus multiplicatur, & si fieri possit, verno quidem tempore ad mensem usque frondescentiæ, tectus glacie servetur. Vid. G. D. Præf. Obs. in Act. Holm. 1763.

CYNARA *Scolymus* (*Kronårt skåckor*), & CYN. *Cardunculus*, perinde & radicibus & seminibus multiplicanda. Hæc hiemem culmo & plurimo fimo equino incalescente, ne a glacie lædantur, teguntur. Non nisi Nobilioribus paucis hic cibus huc usque contigit.

BROMELIA *Ananas*, cujus fructus nobilissimus, & totius naturæ facile præstantissimus est, ultimis his annis in nostra quoque Patria & hortis quidem Magnatum colli cæpit. Ne a frigore destruat plantam, per totam hiemem intra domum inhabitatam sicca tenetur. Traduces ejus sunt comæ, quæ uti radices, terræ opimæ committuntur, & tempore vernali, more Melonum, sub fenestris foventur.

CAPUT TERTIUM

ARBUSTUM

Arbores & Frutices, fructiferas κατ' ἐξοχήν dicunt, quæ in hortis seruntur, & frigus nostrum perferunt, continet.

ARBORES.

PYRUS *Malus* (*Apel*) multas habet varietates.



β. *Malus sylvestris* (*Wildapel*), quæ feminibus facile provenit, & adultior alio transfertur. Huic, non fructus, sed trunci, ad furculos bonæ indolis inserendum utilis, habita ratione, heic tribuitur locus. Quo enim pacto arborum incrementis oppido consulitur, quando quidem silvestris hæc arbor, nec hiemis violentiam reformidat, nec radices ejus a muribus terrestribus violantur, nec furculus trunco insertus indolem mutat. Mutant vero arbores a semine prognatæ, quod frequenti exemplo constat. Quibus insuper id subjunxisse juvabit, quod plurimis observationibus confirmatum est, arbores trunco insitas aliis, e semine ortis, uberiores multo ferre fructum.

γ. *Mal. paradisiaca* (*Dwårg apel*), humilis est, atque adeo ad horti areas optime feminatur, ita tamen, ut ne aliis vegetabilibus umbram faciat.

δ. Reliquæ varietates, ratione coloris, formæ, saporis & magnitudinis fructuum fere innumeræ, in Horæa seu Præcocia & Oporina seu Serotina dividuntur. Inter illas *M. Diaphana* (*Siberiska Äplan*) inter has *M. prasomi-la* (*Renetter*) primum tenent locum.

PYRUS communis (*Påron*), itidem varietatibus haud paucis superbit.

β. *Pyr. Pyrafter* (*willa taggiga pårontrån*), cujus si quis potestatem habeat, ob causas antea de malo silvestri notatas, stirpem, cui melioris notæ traduces inserantur, colere debet.

γ. Inter ceteras varietates *P. falerna* (*Pekgamotter*) sapore, *P. pompejana* (*Bonchretienner*) magnitudine, præferri debent.

PRUNUS domestica (*Plommon*), quoque multis se probat varietatibus, quarum *P. cerea* (*Hvita Plommon*) eas fert drupas, quæ maturæ a nucleo secedunt, & aliis ceterarum varietatum drupis, præstant.

PRUN.



PRUNUS *Cerasus* (*Kirsbär*), cujus fructus ratione temporis, coloris, magnitudinis atque saporis, admodum varius deprehenditur. Scilicet

β. Cer. *avium* (*Fogelkirsbär*), quæ quibusdam locis frequentissima est, proceræ crescit, & ad inferendum melioris notæ propaginem, apprime idonea.

γ. Cer. *Bigarella*, (*Bigarreau*) quæ hujus speciei præstantissima est in hortis sæpius conspicitur. Rari vero usus est C. *ætiæna* huic cognata, fructu nigro, dulci & haud raro verminoso, quam in pugna Ætiæna debellato Mitridate, Ceraso urbe Ponti Romam attulit rediens Lucullus. Reliquæ vero species diu antea Europæ innotuerant.

CRATAEGUS *Aria* (*Oxel*), cujus semina duriora, pericarpio soluta, feruntur in siccioribus locis, ubi dein, utpote indigena, facile succrescit.

Arboribus his, hiemis vim quantumvis summam, sustinentibus, accedunt aut tepidiorem auram, aut calidiorem flagitantes.

Illæ, juxta parietes ferendæ, & contra summum frigus protegendæ, ut in columes persistant, sunt

PRUNUS *Armeniaca* (*Apricos*). MORUS *nigra* (*Mullbär*).
AMYGDALUS *Persica* (*Persica*) VITIS *vinifera* (*Winranka*).
- - - *communis* (*Mandel*)

Hæ in loco calido per hyemem conservandæ, sunt
CITRUS *Medica* (*Citron*) LAURUS *nobilis* (*Lager*).
- - *Aurantium* (*Pomerans*). FICUS *Carica* (*Eikon*) quæ
novissima commode etiam in cella hibernat

FRUTICES.

RIBES *rubrum* & *album* (*Röda och hvita Winbär*), quod malleolis facile propagatur.

RIB. *nigrum* (*Swarta Winbär*), racemis magis pro-pendentibus, & ut superiora, propagandum.

RIB. *Grossularia* (*Krusbär*), fructu piloso vel glabro, luteo vel rubro variat, præcedentium imitatur indolem.



His adnumeratur præcipua varietas in horto Botanico obvia, cujus fructus constanti lege didymi sunt, quemadmodum in *LONICERA alpigena* fit.

De singulis his Ribium speciebus observatur, quod, quo sæpius transplantantur, eo major evadit fructus.

RUBUS occidentalis (*Amerikanška Hallon*), in Patriam a D. Prof. KALM introductus, qui cum sapidissimus & frigoris nostri patiens sit, magis multiplicari deberet.

CAPUT QUARTUM.

CORONARIAE PLANTAE.

E Regno Vegetabili, quæ clementissima supremi Numinis providentia est, generi humano non ex tantum res suppetunt, quæ ad victum & valetudinem sunt necessaria; verum & jucunda quævis atque amabilia cum suavitate quadam singulari adfluunt. Itaque in mirabili omnium rerum, ibi occurrentium, varietate, aliæ oculis pulcherrima specie arrident, aliæ linguam suavissimo jucundissimoque sapore demulcent, aliæ nares acceptissimo odore delectant, aliæ denique alia ratione usibus humanis inserviunt & oblectamentis. Sua quoque commoda plurimi mortalium, illi saltim, qui emunctioris sunt naris, haud ignorant, quum ea voluptate pretiosissimas naturæ dotes excipiant, ut nullus fere hortulus rusticorum adeo sit tenuis, quin florum quorundam ornatu splendescat. Quid? quod, eo curiositatis procedunt, ut maxima & præstantissima horti pars, herbis, non nisi externos sensus oblectantibus consecretur. Itaque, quæ nostrarum in hac materia sint partium, non absolvisse plurimis forte videbimur, nisi eas quoque delicias, leviter saltem, tangamus. En igitur potissima herbæ, desiderio eorum faventes!

ANNUAE.

a. FRIGIDIORES, quæ haud difficulter nostro advesfactæ solo, minori horticultorum cura indigent, sunt

HELIANTHUS annuus (Sol-blomma).	ADONIS æstivalis.
CALENDULA officinalis (Ring-blomma).	- - - autumnalis.
PAPAVER somniferum (Hællmog).	NIGELLA damascena.
- - - Rhocas.	SILENE Armeria.
CHRYSANTHEMUM coronarium.	SCABIOSA atropurpurea.
CENTAUREA Cyanus.	HESPERIS tristis.
DELPHINIUM Ajacis.	MALVA mauritiana.
BORAGO officinalis (Stofferblomma).	- - - crispa.
	DIGITALIS purpurea.
	LATHYRUS odoratus.
	CONVOLVULUS tricolor.
	LAVATERA trimestris.

β. TEPIDIORES, juxta parietes, tamen in apricis locis, ut a frigore sese tueantur, propagandæ, sunt

TAGETES patula (Sammetsb.)	AMARANTHUS caudatus (Amarant).
- - - erecta.	

γ. CALIDIORES, frigus minime ferentes, sunt

CAMPANULA pyramidalis.	IMPATIENS Balsamina.
SENECIO elegans.	GOMPHRENA globosa.

PERENNES.

a. LILIACEAE, quæ plerumque in areis apertis, bulbis divisim propagantur.

TULIPA gesneriana (Tulpan).	LILIUM bulbiferum.
GALANTHUS nivalis (Snö-lilja).	- - - Martagon (Krum-lilja).
LEUCOIUM vernum (Vår-lilja).	FRITILLARIA Meleagris.
NARCISSUS poeticus (Pingslilja).	- - - imperialis (Keiserkron).
- - - Pseudo-Narcissus (Påsklilja).	HYACINTHUS orientalis (Hyacint).
LILIUM candidum (Hvit lilja)	- - - botryoides (Druslhyacint).
	SCHI-



SCILLA <i>amœna.</i>	ANTHERICUM <i>Liliago.</i>
GLADIUS <i>communis.</i>	HEMEROCALLIS <i>flavus.</i>
ORNITHOGALUM <i>umbel-</i>	- - - <i>fulvus.</i>
- - - <i>latum.</i>	IRIS <i>germanica (Svårds-lilja).</i>
- - - <i>nutans.</i>	- - <i>variegata.</i>
COLCHICUM <i>autumnale</i>	- - <i>biflora.</i>
(<i>Tidlösa</i>).	- - <i>sibirica.</i>
CROCUS <i>sativus Vern. (Sa-</i>	- - <i>spuria.</i>
<i>fran.)</i>	TRADESCANTIA <i>virginica.</i>

β. MISCELLANÆE, quæ morè præcedentium, cœli nostri injurias perferre, tumque e seminibus & radicibus enasci possunt

PAEONIA <i>officinalis (Pion).</i>	FUMARIA <i>bulbosa.</i>
- - - <i>tenuifolia.</i>	ANTIRRHINUM <i>majus.</i>
AQUILEGIA <i>vulgaris (Åker-</i>	HIERACIUM <i>aurantiacum.</i>
<i>lilja).</i>	CENTAUREA <i>alpina.</i>
ACONITUM <i>Napellus.</i>	RUDBECKIA <i>laciniata.</i>
DELPHINIUM <i>elatum.</i>	ASTER <i>tradescanti.</i>
- - - <i>Ajasis.</i>	ECHINOPS <i>sphærocephalus.</i>
DICTAMNUS <i>albus.</i>	PHYSALIS <i>Alkekengi.</i>
TROLLIUS <i>europæus.</i>	HYPERICUM <i>Ascyron.</i>
HELLEBORUS <i>viridis.</i>	POLEMONIUM <i>cæruleum.</i>
VERATRUM <i>album.</i>	CLEMATIS <i>integrifolia.</i>
ALCEA <i>rosea.</i>	VINCA <i>minor.</i>
MALVA <i>moschata.</i>	VIOLA <i>odorata.</i>
HESPERIS <i>matronæ.</i>	GNAPHALIUM <i>margarita-</i>
DIANTHUS <i>Caryophyllus.</i>	<i>cœcum.</i>
- - - <i>barbatus.</i>	ACHILLEA <i>Ptarmica.</i>
LYCHNIS <i>chalcedonica.</i>	MATRICARIA <i>Parthenicum.</i>
AGROSTEMMA <i>Coronaria.</i>	TANACETUM <i>vulg. crisp.</i>
PRIMULA <i>veris.</i>	- - - <i>Balsamita.</i>
- - - <i>Auricula.</i>	ARTEMISIA <i>Abrotanum.</i>
DODECATHEON <i>Mœdia.</i>	MENTA <i>crispa.</i>
ANEMONE <i>Hepatica.</i>	HYSSOPUS <i>officinalis.</i>
BELLIS <i>perennis.</i>	

γ. CALIDIORES, quæ hieme intra domos fervari, aut alia ratione a furore tempestatum prohiberi debent.

PHLOMIS <i>Leonurus.</i>	CHEIRANTHUS <i>Cheri.</i>
LOBELIA <i>Cardinalis.</i>	- - - <i>incanus.</i>
HEDYSARUM <i>coronarium.</i>	GNAPHALIUM <i>orientale.</i>



J. Reliquæ perennes, quarum radices auctumni tempore effodi, per totam hiemem siccæ in domo habitabili condi, & vere tandem committi terræ possunt.

RANUNCULUS *asiaticus*. MIRABILIS *Jalapa*.
ANEMONE *coronaria*. POLIANTHES *tuberosa*, quæ
novissima, dum verno tempore plantatur terræ optimæ tradi debet.

FLORUM denique plurium enumeratorum, multæ dantur varietates.

α. VARIO COLORE florum ludentes. Ut

TULIPA <i>gesneriana</i> .	CHEIRANTHUS <i>incanus</i> .
AQUILEGIA <i>vulgaris</i> .	IMPATIENS <i>Balsamina</i> .
ALCEA <i>rosea</i> .	RANUNCULUS <i>asiaticus</i> .
DIANTHUS <i>Caryophyllus</i> .	ANEMONE <i>coronaria</i> .
MIRABILIS <i>Jalapa</i> .	PAPAVER <i>somniferum</i> .
PRIMULA <i>veris</i> .	DELPHINIUM <i>Ajacis</i> .
- - - <i>Auricula</i> .	CENTAUREA <i>Cyanus</i> .

β. FLORIBUS PLENIS sæpe luxuriantes. Ut

PRIMULA <i>veris</i> .	ANEMONE <i>coronaria</i> .
NARCISSUS <i>poëticus</i> .	- - - <i>Hepatica</i> .
- - - <i>PseudoNarcissus</i> .	HELIANTHUS <i>annuus</i> .
PAEONIA <i>officinalis</i> .	CALENDULA <i>officinalis</i> .
ACEA <i>rosea</i> .	CHRYSANTHEMUM <i>coronarium</i> .
DIANTHUS <i>Caryophyllus</i> .	PAPAVER <i>somniferum</i> .
LYCHNIS <i>chalcedoniaca</i> .	- - - <i>Rhoeas</i> .
AGROSTEMMA <i>Coronaria</i> .	TAGETES <i>patula</i> .
BELLIS <i>perennis</i> .	- - - <i>erecta</i> .
VIOLA <i>odorata</i> .	NIGELLA <i>damaascena</i> .
MATRICARIA <i>Parthenium</i> .	IMPATIENS <i>Balsamina</i> .
CHEIRANTHUS <i>Cheiri</i> .	ROSA.
- - - <i>incanus</i> .	VIBURNUM <i>Opulus</i> .
RANUNCULUS <i>asiaticus</i> .	

ARBORES & FRUTICES.

α. Quæ frigus nostrum perferunt, & non fructus, sed ornatus causa feruntur, sunt

AESCULUS <i>HippoCastanum</i> .	VIBURNUM <i>Opulus flore pleno</i> (Snoboll).
SYRINGA <i>vulgaris</i> (Syren).	
PHILADELPHUS <i>coronarius</i> .	ROSA <i>gallica</i> .
	D RO-

ROSA *alba*.- - *eglanteria*.- - *centifolia*.SPIRAEA *salicifolia*.POTENTILLA *fruticosa*.ROBINIA *Caragana* (*Art trad*)- - - *frutex* (*Arbuske*).BUXUS *sempervirens* (*Box-*
bom).LONICERA *Caprifolium*.LIGUSTRUM *vulgare*.β. Quæ in fenestris calidi cubiculi semper locantur, sunt
JASMINUM *officinale*.VINCA *rosea*.

Ita habes B. L. ea, quæ pro loci & temporis ratione super hac materia in medium proferre maxime e re visum est, quæque ab ingeniosiori, aliaque ætate, qua ad altius fastigium indagationis & experientia provecta fuerit hæc scientia pars, & emendari & fusius tractari poterunt. Nihilo tamen minus his faveas pagellis, quæ Patriam nostram multis magnisque vegetabilium commodis auctam esse, quodammodo indicant. Licet enim dulcia vina de uvis heic non exprimantur; præbet tamen hordeum nostrum potum, qui sua sæpe præ eis gaudet virtute: licet cæli nostri genius Citris Palmisve, quarum fructus alit & succus refrigerat, non indulgeat; Mala tamen & Pyra optimi saporis habemus, quæ non sine singulari voluptate consumere, & in cideram, aliaque sapida fercula redigere possumus. Et sic in ceteris. Adeo quidem, ut perfectissimam creationem Sapientissimi Numinis fati nequeamus de venerari, qua humanæ felicitati ita consultum voluerit, ut quam demum cunque in coluerimus terræ partem, bene, commode & feliciter vivere possimus.

Cui itaque soli sit gloria in se-
cula nunquam terminanda!

